



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 168. Nicolai Papæ obitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A. C. 1455.

portunis mediis Principes ad unionem incitarentur, quilibet necessaria suppeditaret, ac demum validus conscriberetur exercitus. Venerant quoque in Austriam ad Imperatorem aliquot ex Electoribus, aliisque Germaniæ Principibus, necnon ceterorum Legati, & ex Hungaria Episcopi, ac Barones præcipui. Aderat etiam ex Italia Joannes Episcopus Papiensis, Sedis Apostolicæ Legatus, unacum Michaele Pitio Alphonfi Siciliæ, & Arragoniæ Regis Oratore. Nec defuit Joannes Capistranus, qui assiduis prædicationibus populum adversus Turcas ad arma, ac eleemosynas pro futuri belli sumptibus erogandas excitabat. Cum vero omnia propemodum conclusa essent, necnon optata spes arrideret, æstate proxima ingentes copias in Christiani nominis hostes eductum iri, infaustus mortis Nicolai Papæ nuntius telam jam longo tempore cæptam uno momento incidit.

§. CLXVIII.

*Nicolai Papæ obitus.*

Mortuus est Nicolaus Papa die vigesima quarta Martii Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, postquam S. Petri Cathedram octo annos, & novemdecim dies tenuisset. Hic post pauco-

paucorum dierum luctam e vivis ereptus Sæcul. XV.  
 est, partim ex podagræ doloribus, quibus A.C.1455.  
 toto ferme Pontificatus sui tempore  
 graviter laborabat, partim ex febre, qua  
 correptus fuerat. Præter has vero po-  
 tissima mortis causa erat animi tædium,  
 quo capta Constantinopoli continuo con-  
 fectus est. Videbantur copiæ, quas pro-  
 xime adversus infideles mittere cogi-  
 taverat, haud alium in finem collectæ,  
 quam ut funebrem Papæ pompam eo  
 solemniolem redderent. Gesserat Nico-  
 laus felicem faustumque Pontificatum,  
 præsertim post id temporis, quo pacem  
 Italiæ tanto labore peperit. Idem Ro-  
 manam urbem multis, iisque celeberrimis  
 exornabat ædificiis, quæ tamen mor-  
 te præventus complere non potuit.  
 Cum ipse eruditione ac sapientia emine-  
 ret, ac sacratorum literarum eximius  
 cultor esset, summe liberalis fuit erga om-  
 nes, quos vel ingenii vel doctrinæ  
 præstantia commendabat, eosque qua be-  
 neficiis, qua obsequiis Romam accersivit.  
 Bibliothecam suam græcis atque Latinis  
 manuscriptis longe celeberrimis, ac sum-  
 ma cura collectis locupletavit, nec non in  
 tota Græcia libros omnium facultatum,  
 omniumque artium genere præclaros in-  
 gentibus sumptibus conquiri, eosque ad  
 se adferri, ac in linguam latinam trans-  
 ferri curavit, magna elargitus præmia  
 illis,

**Secul. XV.**  
**A.C. 1455.**

illis, qui eos verteabant. Nec minus sollicitus fuit in latinis quoque Auctoribus indagandis. Adeo literarum amor, ac liberalitatis suæ genium ex æquo certarunt, ut ei, qui sibi Evangelium Sancti Matthæi Hebraicum afferret, quinque ducatorum millia pollicitus esset. Ecclesias vasis aureis, atque argenteis, sacerdotalibusque indumentis ac aulæis pretiosissimis munificentissime decoravit. Ab omni avaritiæ specie semper adeo alienus erat, ut nullum officium unquam vendiderit, virgines vero inopes ex iis, quæ sibi subtraxerat, in matrimonium collocaverit.

*Platin. in Nicol. V.*

*Addit. ad Ciaton.*

Refert quidem Platina, eum facilem nonnihil ad iram fuisse; ast confestim subjungit: facilis etiam reditu ad benevolentiam erat; adeo prompte ejus innata virtus vitium illud correxit. Morte occupatus est eodem tempore, quo Sigismundum Austriæ Ducem ad se vocasset, eo quod Cardinalem de Cusa a jurisdictionis exercitio in suo Brixienfi Episcopatu impedire ausus fuisset.

§. CLXIX.

*Cardinales Conclave ingressi.*

Justis summo Pontifici Nicolao de more persolutis, cunctisque pro civitatis, atque palatii securitate dispositis, Cardinales